



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 2. Quantitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

## CAPUT PRIMUM.

*Regni Macedonici Historica.*

**M**ACEDONIA regnum ante Philippum Alexandri patrem angustum fuit, & vix ultra Macedoniam extensum, ac sæpe Barbarorum excursionibus patuit. Philippus hoc amplificare cœpit, eique primum adiunxit Thessaliam, cuius usus equitatu, partem Epiri occupauit, sicut & Thraciæ. Verum totius Thraciæ subiectæ gloria, eius filio Alexandro reseruabatur, cuius virtute non modò Græcia, sed & tota Asia, & pars Africæ Macedonibus succubuit.

§. I. *Macedonia.*NUMERVS I. *Nomen.*

LIVIVS lib. 40. ait primò PEOONIAM vocatam esse, videlicet à Pœonibus populis, qui ad Rhodopen accolunt. Deinde ÆMONIAM; ac denique MACEDONIAM. Quod extremum nomen à Macedonia quodam profectum volunt, de cuius origine varij varia tradunt. Ex Berofo, & Iustino priùs est dicta ÆMATHIA, quam Macedonia, ab Æmathione rege. Colligitur etiam ex Plinio dictam esse PIERIAM: ac postremo MACETIAM, ut vult Eustathius à Macetiâ, eius portione.

Obseruabis hic diligenter, aliquando Macedoniam cum Thessaliâ confundi: quare mirum non esse si eadem Thessalia, aliquando Æmathia, & Æmonia nuncupetur.

NUM. 2. *Quantitas.*

*Latitudo* eius desumitur à monte Orbeli iugo, ad montem Pin-dum: estque iuxta positiones Ptolemæi 2000. stadiorum.

*Longitudo* à Dyrrhachio ad montem Atho 2500. stadiorum.

NUM. 3. *Qualitas.*

HÆC regio nobilissimos equos aluit. Quare Rex ad urbem Pel-lam triginta equarum millia, & trecentos emissarios equos habuit.

Feris quoque refertissima fuit, ideoque Macedones venationi deditissimi fuere.